

AD PERILLVSTREM

AC GENEROSVM, VTRIVSQUE ARMATÆ
& togatæ militiae auratum Equitem sanctæq; sedis Apostolicæ
protonotarium, simul geminæ centuræ Licentiatum
dignissimum, Dominum Bartholomæum à
Salignaco, Gabrielis Dele z.
carmen elegum.

Biturigum sublime decus, clarissima gentis,
Gemma Saligniacæ, & tempus in omne iubar.
Bartholomæ sagax, gemino splendescis honore,
Armorum atq; togæ miles, vtrunq; tenens.
Dum ferus hostiles Mauors ad bella phalanges,
Excitat, occurrens strenuus arma capis.
Dum Bellona furens clypeum protendit, & ensim,
In medias acies irruis impavidus.
Ast dum Palladias delectant ocia mentes,
Mnemosyne cerebrum vellicat ipsa tuum.
Impiger Hesperidum placido spaciaris in horto,
Atq; decem tomis psallit amæna chelys.
Quæ latuere prius tua commentaria pandunt,
Pandunt res miras, quæ latuere prius,
Quæq; peregrinus Iudæo noueris orbe,
Rheticis ornans floribus ipse notas.
Multæ tibi totus debere fatebitur orbis,
Si tua perlegerit lumine scripta pio.
Nescio quæ meritis præconia digna rependam,
Munere pro tanto sit tibi laus & honor.

V A L E.

63A



PIA ET SVCCIN- CTA RESPONSIO, AD PRÆ- CIPVA ARGUMENTA M. CYRIACI Spangenbergij,

De peccato originali.

A M. IOAN. MOSELLANO, EC-
CLESIAE, QVÆ EST IN GAYLNDORFF.
Ministro, conscripta Anno 81. Mense Au-
gusto.

Frustrâ sacrilegi morsu petulante Sophistæ
Dilaniant, veri cœlica verba Dei.
Nam qui de summo prospectat cardine cœli,
Consilia effectus non dat habere suos,
Sed quando scelerum vindicta ardescet in iram,
Hæretici, tanquam fistilis olla, cadent.

M. I. M. F.



T U B I N G A E,
Apud Georgium Gruppenbachium.
M. D. LXXXII.

B

ET SACCIN
AD PRE

ELIA MOLINI

A.M.A.M.

1597
M.DXXXI

ILLVSTRI AC GE- NEROSO DOMINO, D. HEN-

RICO, LIBERO BARONI A LYMPVRG, SACRI

Rom. Imperij Pincerna hereditario, Domino
jvo clementissimo.



VAMVIS, ILLVS TRIS AC GENEROSE
Baro, post halcyonia illa, quæ Deus Ecclesiae suæ
concessit, semper præclarri viri extierunt, qui non
modo veram religionem ex tenebris in lucem edu-
ctam, & e' squalore humanarum traditionum erutam,
asserent, sed etiam contra tanatos spiritus sic defenderent, vt
posteriori nullam contendendi materiam reliquise videantur;
ea tamen Sathanæ est malignitas, vt inducias (quas vel inuitus
Ecclesie Christi ad respirandim concedere cogitur) non permits-
tat esse diuturnas. Huius rei non modo superiorum temporum
acta, nobis exempla suppeditant, sed ipsa etiamnum experientia
testis est locupletissima. Videmus enim (proh dolor) eos, qui initio
arma sua spiritualia aduersus Antichristum magno contensu no-
biscum expedierunt, ea nunc in nostra viscera conuertere. Et quod
non sine stupore, animiq; commotione dici potest, quorundam
animis tanto ardore, tanta rabie, tantoq; amaritudinis felle oppleti
sunt, vt non tantum voce & stylo nobis insultent, sed etiam omne
suum virus, ceu histernam crapulam in nos euomant, nec ullam
pacis conditionem amplectantur. Ex horum autem numero sunt
FLACCiani, quos a nouelli & peruersi dogmati sui pas-
tronio hodie sic vocamus, qui quidem summo studio & contentio-
ne initio in ea re elaborarunt, vt viderentur nobiscum concordes:
sed vt nunc apparer, præposta & pudenda hæc sicut vñitas, quam
vulpeculæ Samsonis nobis adumbrarunt, quæ caudis quidem col-
ligatae, capitibus autem in diuersa terebantur, & incendio omnia
vastabant. Hæc quamvis ita manifesta & decantata sint omnibus,
vt sine summa impudentia, nec ab ipsis aduersarijs, nisi splendidè
mentiantur, negari queant: huius tamen rei non obscurum iudicis
um M. CYRIACVS SPANGENBERGIVS publico scripto, (cuius inscriptio est Gewissheit &c.) haud ita pridem
ædito, de se prebuit. Quemadmodum enim vomitu laborantes, in
principio quidem detinere intus egredientes humores nituntur:

A 2 cum

Epistola

cum vero fastidio vici succubuerint : magnis singulis eis pro-
fundis omnia eructant : sic etiam aduersarii, licet arte sophistica &
suecatis interpretationibus causam suam hactenus occultarunt, ne scis
licet eius præstigia, quibus Ecclesiam Christi dementauit, à quibus
uis possent animaduerti : hoc tamen scripto errorem suum rotun-
do ore profitetur, quodq; Diabolicum est, in eo perseverare anima
mum obfirmavit. Nec solum pios Ecclesiae ministros, qui hactenus
erga incorruptam doctrinam animum propensum habuerunt, sed
etiam reliquam turbam, ad superstitionem alioquin nimis credula-
lam, in nassam suam pertrahere, ad defectionemq; sollicitare nititur,
Tanta insuper hominis fatuitas est, ut non sit contentus sua voca-
tione: sed malora viribus affectet, & falcem (quod dicitur) in aliena
nam messem mittat, vt sibi nescio quam nominis celebritatem pa-
ret, & sub hoc prætextu sensim & quasi per cuniculos in nostram
viciniam irrepere possit. Ne ergo venenum hoc, vt solet Ganges
na serpere, in nostram Ecclesiam sese diffundat, & ceu flumen elu-
tione sua omnia obvia vastet, publico hoc scripto stellionē istum,
qui ceu ignarus fucus nos à verbī Dei præsepibus arcere conatur,
et finibus C. T. propulsabimus, ejiciemus, eliminabimus, & quod
relicuum est, efficiemus, ne posthac nos voce lacerat. Non iniuria
autem mirabitur C. T. cur ego potissimum, qui nec literarum, nec
linguarum armis, nec usu vel exercitio, aut quaenq; mediocritate
oratoria instructus sum, hoc laxum voluere aggrediatur. Et profecto
meo pede me metiens, adduci, vt huc scriberem, nullo modo po-
tuissim, nisi duæ non contempnendæ causæ essent, quæ me à suspic-
tione audacie & temeritatis, à qua cupio me esse & videri etiam
alienissimum vindicarent. Quarum una est, quod videlicet inter
partes officij viiuscuiusq; docentis verbum Dei, Paulus commen-
moret, ut contradicentes conuincat, & ἐπισομίζῃ. Cumq; Princeps
Philosophorum iudicerit, φιλοσόφων, αὐδρας δέρπεται σωτηρία τῆς
ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναρτεῖ, Ministros autem Ecclesiae non so-
lum τὰ οἰκεῖα, sed & fortunarum omnium, vītā, famaeq; discri-
men ἐπειδὴ λαθεῖας σωτηρίας, in primis adire conueniat, volui & ea
go, cum viderem rem non minimi momenti in hac quæstione ver-
ti, an ore veritatis, & piæ concordiae promouendæ studio, meam
sententiam sine cuiusquam contumelia exponere. Altera causa est
studiorum meorum priuata utilitas. Quemadmodum enim ignis
vento agitatus flammatum concipit, si vero non agitetur, aut insuf-
fletur

Dedicatoria.

fletur, per se extinguitur, aut aliis facile & sine ullo negotio sopi-
tur: Sic omnia etiam dona, artes & scientiae exercitio quidem cre-
scunt, & ferri instar splendescunt: intermissione vero retrigescent,
languescent, & quasi planè emoriuntur. Quo Ouid, respexisse vide-
tur, cum canit,

Vidi ego quassatas mota face crescere flamas:
Et vidi nullo concutiente mori.

Clementiae autem Tuæ halice qualescunq; laborum meorum
primitias dedicare volui, non solum propter pietatem insignem,
qua omnes curas & studia eō confert, vt puritatem doctrinæ reti-
nere, & ad posteros transmittere queat: sed ob hanc etiam causam,
vt vel tandem significationem aliquam gratæ mentis atq; obser-
vantiae in C. T. æderem. Deus pater Domini nostri Iesu Christi
C. T. Ecclesiae suæ & Reipublicæ quād diutissimè in columem
seruet, Amen. Datae in Gayndorff, Anno ut supra.

C. T.

Obsequentiissimus

M. Ioan. Mosellanus.

Responsio ad Argumenta Cyr.

SALVATOR NOSTER CHRISTVS OMNES qui ei nomen dederunt, grauissime horruntur, ut à Pseudoprophetis sibi caueant, dicens: Cauete vobis à falsis Prophetis. Vocat autem omnes eos falsos Prophetas, qui lupinam rapacitatem, id est, impietatem vite & doctrinae sub vestitu ouili tegunt. Quia autem difficile & graue est, lupinam rapacitatem sub vestitu ouili latentem videre, non modò nos cohoretur, ut à falsis doctoribus nobis caueamus, sed etiam indicat, quomodo agnosciri & à veris discerni & possint & debeant, videlicet ex fructibus eorum: admonitionem insuper valde utilem & necessariam addit, ne praetextu nominis Christi nos à falsis Prophetis seduci patiamur, cum non omnes in vitam ingressuros affirmet, qui dicunt Christo, Domine, Domine, &c. Si autem unquam fuit tempus ullum in Ecclesia, cum hec admonitio necessaria fuit, tum certè delira hac mundi senecta. FL ACCIANI enim ouium gregem, quem Christus sanguine suo redemit, infestantes, ouina pelle se tanta arte atq; industria inuoluunt, ut vix nisi à peritioribus agnoscantur. Huius rei testimonium nobis perhibet Scriptum SPANGENBERGII recens editum, in cuius etiam Titulo, nomine Lutheri plenis (quod aiunt) buccis, magnoq; biatu crepat. Cum enim dogma suum nobis suspectum esse non ignoret, causamq; morbidam sustineat, errori suo verba Lutheri, quæ tanquam in triumpho circuinducit, autoritate prætoria nobis obtrudit, ut nimirum hac hedera suspensa, nouellum suum dogma vendibilius facere posset. Quia autem cause sue diffidit, & ouina pelle parum effici posse autumat, mox leoninam assumit, & eum Goliath hastam suam vibrans bellum nobis indicat: ut q; ex ynguis leonem fristrà rugientem nobis agnoscere liceat, AC CIDENTARIO nos vocat. Sed bene se res habet: licet enim rudi plebeula terrorem iniiciat, nullam tamen horro-

ris significationem dabimus: sed idem illi respondebimus, quod herus apud Aesopum, suo Asino. Placet autem integrum fabulam recitare. Asinus venit in syluam, offendit exuvias Leonis: quibus induitus redit in pascua: greges armentaq; territat & fugat. Venit qui perdiderat, querit suum Asinum. Asinus uiso hero occurrit. At herus prehensis, quæ extabant auriculis, alios licet, inquit fallas, ego te Aselle mi probè noui. Sed ne calumniandi studio aliquid dicere, aut in reseria ludere videar, (diuina gratia adiutus) cum aduersario in arenam descendam, & ad singula, que ad causam aliquid facere videbuntur, respondebo.

Principiò ergò, ne aduersarius temerè aliquid affuerare videatur, magno supercilio, non secus ac Solon, aut Lycurgus, generalem quandam Regulam præmittit, eaq; non obscurè innuit, quibus fundamentis suum dogma fulciatur, ijsq; nimirum testimonij, quæ non ex hereticorum lacunis, sed è sacra scriptura sint deprompta. Quicung, (inquit) de articulo fidei vult certus esse, & contra omnium doctrinarum corruptelas consistere, is dilectum vnum aut alterum è sacra scriptura petat, ijsq; tanquam immortarupe innatur, nec inde, se auelli patiatur. Nos ergò in hoc articulo de Peccato Originali disputaturi, iuxta bunc Canonem incedemus, &c.

Nemini, nisi pituita laboranti obscurum esse arbitror, quo consilio hæc Regula præmittatur, nempe, ut hoc quasi iacto fundamento, omnia deinde pro oraculis nobis obtrudat. Et in hoc egregie Medicos imitatur: hi enim aliquando austeriora medicamenta agris propinantes: ne forte æger vilitatem præ austriate, refugiat, ora ac summitates poculi, quo remedium porrigit, melle circumlinunt. Sicut autem in ædificijs subuerso fundamento, reliqua et si bene adhuc cohærent, paulatim tamen ad ruinam inclinant, & corruunt: Idem etiam ijs euenire solet, qui in Theologia falso nituntur principio, hoc enim sublato, omnia deinde

3 Responsio ad Argumenta Cyr.
deinde sponte concidunt. Summo igitur studio in id nobis nunc
incumbendum, ut hoc fundamentum, non male quidem positum,
sed malum adficiunt sustinens, euertamus. Respondemus ergo:
sacram quidem scripturam rectissimam lineam & amissim esse,
ad cuius perpendiculari rellitudinem omnia sint erigenda, ne-
mo non ignorat: tum demum autem hæc Regula locum habet, si
dicta scriptura præsenti rei & materiae conueniunt, nec in alie-
num sensum detorquentur. Non raro enim imperitis Theologis
id accidere solet, quod Medicis, qui ex inscitia venenum pro re-
medio apprehendunt, ut & ipsi in doctrina pro veritate corru-
ptelas apprehendant. Quod si simpliciter hæc Regula intelliga-
tur, plurima (tanquam ex Equo Troiano) absurdâ indè descen-
dent: nam hoc concessso, sine discrimine omnes doctrinarum cor-
ruptelas nos amplecti necesse foret, cum nihil tam enormiter &
notoriæ superstitionis sit, cuius hostes Ecclesia, non ex scriptura
patrocinium suscipere & profiteri ausint. An non generis huma-
ni hostis Sathan, Christo præcipitum de pinna templi, audaci
præsumptione suggestus, hoc principio Iesus est, inquit: Scriptum
est Angelis suis mandauit de te, &c. An non Romanus Ponti-
fex, omnem aquam ad suum molendinum deriuat, ut Pontificis
quisquilijs & furfuribus tritici loco, pro aquis limpidissimis, ex
viuis fontibus emanantibus, palustribus perinde ut fues im-
mundos nos pasceret & potaret? An non Iesuitæ nouitia Roma-
ni Pontificis creatura, & in perniciem Ecclesiarum, quæ puram
Euangelij doctrinam amplectuntur, nuper admodum ab ipso
Diabolo canonisata, omnem suam Idolomaniam huic fundamen-
to superstruere conantur, cum scriptura authoritatem auribus
nostris subinde ingerant? An non etiam spermologi simpliciori-
bus imponere, & Quid pro Quo vendere volentes, Medicinam
voce Scientia commendant, & Galeni discipulos se esse profiten-
tibus, quiq; omnem suam scientiam ex Medicina fontibus hause-
rint

Spangenb. de peccato original.

4
rint. Tantum autem abest, ut ventosas eorum nugas ample-
flamur, ut saepe etiam virgines casos in malam crucem abigamus.
Si autem aduersarij sententiam suam nulla circuione & dissi-
mulatione, eo quo decet candore, ex scripturæ testimonijs, & non
hinc indè conquisitus vocabulis, male intellectis, probauerint, ha-
bebunt nos òmoñiphys, & sine contradictione eis applaudemus:
Sin verò factum huic protestationi fuerit contrarium, nulla om-
nino vere cundia erimus eis obstricti.

Hoc nunc è medio sublatu fundamento, malæ causæ subie-
cto, reliquam monstrofi huius dogmatis structuram deiijiemus.
Accidit autem etiam hoc loco aduersarij, quod militibus, quos
cum subita bella conturbant, & omnia trepidationis plena sunt,
de vita saepe desperantes, seipso iugulant. Non dissimilis ratio
est in Flaccianis, quibus cum non pateat via ad elabendum, nec
habeant, quò se proripiант, sibi ipsis sunt exitio. Ajax tanta ins-
ania correptus fuisse dicitur, ut cum apprehenderet arietem, ac
vincire & flagellaret, putaret se Vlyssem vincire & flagellare.
Maior certè insanìa est Flaccianorum, qui cum nobis insultare
sibi videntur, suo ipsis iugulo cultrum supponunt. Probare e-
nim volentes Peccatum esse substantiam, seu quod ipsis idem est,
totum hominem: definiunt id ab Etymologia nominis, dicentes:
Peccatum est ἀνομία, & per ἀνισέφορο. Ανομία est peccatum.
Sicut nunc exercitati milites, clypeis excepta hostium tela, in
hos iterum vibrare solent, sic & nos hoc telum in aduersarium
rētorquebimus hoc modo. Peccatum est ἀνομία. ἀνομία est Acci-
dens. Ergo etiam Peccatum est Accidens, & per consequens
nil per se subsistens, seu, ut loquitur Epiphanius contra Basili-
dem, ἀνυπόστωτο. Quis queſo hanc victoriam ab ipsis aduersa-
rijs (qui desperatis iam rebus ultrò pacem petunt) oblatā è ma-
nibus nostris eripiet? An non egregiam laudem, ampliā spolia
referimus? Ex quibus saltē hoc ιεροῦ λιον̄ gratissimum nobis
esse debet, quod publicū testimonium nobis ferunt, Peccatum est Acci-
dens

B

cidens

5 Responso ad Argumenta Cyr.

eidens. Quod licet in re aliena leue esset, in sua tamen, quia contra ipsos est, grauiissimum esse debet, neq; existiment, per hoc a nobis Peccatum extenuari, quod non ignoramus ex Genesi Lutheri, de quo post. Sinamus autem ipsos sua insania aliquandiu frui: cum enim in tantas angustias copiae ipsorum sint redactae, ut nesciat quod se vertant, rimulam quandam ad elabendū illis aperiemus. Natura (inquiunt) hominis est Peccatum. Natura hominis est substantia. Ergo etiam Peccatum est substantia. Sed ne Maioris termini probatio, protestationi superiori sit contraria, prolixè quidem scripturæ testimonijs eū probat, sed in alienū sensum nimium detortis, ut sic per omnia ingenii hæreticorū nobis repræsentetur, quis (ut Irenæus inquit) solent ὄμοια μὲν λαλᾶτε, ὀνόματα δὲ φραστῆρα. Sed ne maiori verborū apparatu, quā rei veritate eos refutare videar, néue ὑπὲ τὰ ἐπωνύμηα hac disputatio sese efficeret, breuiter ad hoc argumentum respondebo.

In hoc igitur Syllogismo quatuor sunt termini. In Maiore, Natura recte Peccatum dicitur, verum non simpliciter: sed per Metonymiam, quatenus scilicet Peccato est corrupta, & propter reatum. In Minore autem simpliciter sic dicitur, quia quiddam est per se subsistens, & nullo alio indiget. Ita dicimus, canis naturam esse capere lepores, quod non de substantia, sed Qualitate intelligitur: alioquin enim hac natura vsu & exercitio nō posset tolli aut murari, quod tamē Lycurgū Spartanorū Duce fecisse Plut. refert.

Nunc autem quia semel à regia via deflexerūt aduersarij, nullus aberrandi nec finis, nec modus erit deinceps: sed sicut Equi infrenes recliti ineris lineam derelinquentes, rectore contempto, rapido cursu ad Inferni præcipitia delabentur. Sic enim argumentatur. Caro hominis est peccatum. Caro est substantia. Ergo Peccatum est substantia. Quis quæso nō videt Maiorē propositionem nō de substantia, sed de inherentे peccato figuratè loqui, videlicet carnalibus cupiditatib. Quemadmodū etiā homo (verbi gratia) Philosophus, nō utiq; nisi secundū Animā dicitur, nec ideo tamen

abfur-

Spangenb. de peccato original.

6

absurdè, sed congruentissima locutione dicimus Philosophum casum, mortuum, sepultum, cum totum secundum carnem accidat, non secundum illud, quod est Philosophus. Ne autem dicant nos omnia dicta ad nostras lances accommodare: vel ceu alutam extendere, Augustinum audiant. In Epistola enim 146. locum Pauli (1 Cor: 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt) explicans ait: Carnis, & sanguinis nomine, opera Carnis & sanguinis intelligimus. Similiter Epistola 680 ait: Nominis Carnis & sanguinis corruptionem mortalitatis intelligi vouluit Paulus. Si Flaccianus is locus Pauli enarrandus esset, de salute sua omnibus hominibus desperandum esset, & quod a morte mentis non obscurus est index è regno Dei seipso eliminarent. Tali enim argumento uterentur, dicentes: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Homines sunt Caro & sanguis. Ergo regnum Dei non possidebunt. O vos admissi risum teneatis amici.

Eiusdem farina & hoc est, quod dicunt: Totus homo corrupeus dicitur in scriptura. Homo totus constat corpore & anima. Ergo corpus & anima hominis sunt corrupta. Sed ad hoc etiā, ut ad reliqua, per distinctionē respondemus. Nam cùm totū hominē corruptum dicimus, non substantiae abolitionem: sed vitium in homine intelligimus. Ut cùm lepra aliquæ infectū dicimus, omnia quidem vitiata sunt, sed nihilominus tamē substantia hominis manet integra. Si quis autem de πτυολεθίᾳ totius substantiae intelligere volit, totū hominem in nihilum redigere, aut Chimærā, vel aliud quoddam monstrum ex Africa allatum, fingere necesse erit. Corruptione enim physicè loquendo, alterius generatio dicitur, ut cùm ex Tauris putrefactis (iuxta Plut.) nascitur Apes: ex Equis (ut Virg. in Georgicis scribit) crabrones, ex Asinis scarabæsi, ex hominibus serpentes, unde dicitur:

Nascitur ex hominis defuncti corpore Serpens,

Item. Post hominem Vermis, post Vermem fœtor & horror.

Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Auis, quam (iuxta Ouid.) Assyrj Phœnica vocant, in cinerem redacta, physicè perijisse dicitur, & hac corruptio sit alterius generatio. Si quis autem corruptionem de omnimoda substantiae abolitione intelligere velit, non Solem (ut in Proverbio dicitur) sed hominem è medio tollet. Quod non tantum direcè & aduersa fronte cum sacra scriptura pugnat, sed dictu etiam horrendum. Legimus in Euangelio Ioan. Nicodemum grauiter à Christo fuisse reprehensum, quòd modum generationis ignorauit, sed ad consuetas nascendi rationes accommodauit, & corporum quandam, totiusq[ue] substantiae μεταμόρφωσι[ps] finxit. Quanto magis Flacciani sunt reprehendendi, qui craſis cogitationibus nimium indulgentes, & toties à pijs doctoribus admoniti, modum corruptionis nondum intelligunt? Si iuxta ipsorum opinionem totius substantiae interitus factus esset, generatio certè nō tantū Aqua & Spiritu, sed etiis substantiae abolitione fieret.

Nunc forsan (ut ex manibus nostris, quibus se confritos sentiunt, elabantur) obijcent: Πρώτον λέγετε quidem substantiam, quam in prima creatione acceperunt, integrum conseruasse, posteris autem (qui ex semine corrupto nati sunt) totius substantiae iaduram fecisse. Sed nec hoc concedimus. Tales enim genuerunt, quales ipsi erant. Sicut scribitur: Genuit Adam filium ad imaginem, & similitudinem SV A M. Item: Quod ex Carne nascitur, Caro eſt. Nec (ut canit Horatius) generant feroes Aquila columbam. De re tam notoria, & in Scholis toties fibilia explosa, plura dicere non operæ premium esse arbitror, singula etiam perse qui sine fastidio nemo posset.

Excuso nunc telo, quod ceruicibus nostris imminebat, ad conuitia se conuertunt, vipereisq[ue] morsibus nos impetunt, dicentes, Accidentarios nos esse, & peccatum extenuare. Licet vituperari ab illaudatis, malis & improbis, in laude potius ponendum sit, ideoq[ue] virulenta hæc verba surda aure, sicut generosus equus latratus canum negligit, libenter præteriſſem, ne tamen male-

maledicam suam linguam fruſtra in nos vibraverint, secundum legem talionis & ut id ὁρο recipiant, & sciant se hoc ipso suam incitiam suo iudicio prodere, quòd nimirum non sint Dialectici, nec Physici, nec Theologi, & nisi me omnia fallant, αἱρεσοι sunt καὶ ἀγεόμετροι. Quòd enim non sint Dialectici, inde manifestum eſt, quia in quo Prædicamento Peccatum sit collocandum, ignorat, & vix (quod dici solet) jinguinis & capitis quæ sint discrimina norunt. Deinde, non sunt Physici, quia modum corruptionis non intelligunt, quidq[ue] sit Corruptio, non considerant. Et (quod dolendum) mali sunt Theologi, quia dicta scripturæ simpliciter iuxta δὲ γένδη accipiunt, nec ubi figurata sumenda sit interpretatio obſeruant. Sed quorsum haec? praſtat nunc motos componere fluctus, ut vel sic indomitum eorum furorem comprimamus: & concitatos iracundiæ fluctus in quietem redigamus. Nam maledicos & ferros repugnando magis exasperamus, cedendo, mitigamus facile, & eorum mollius inſaniam, inquietum Chryſostomus. Ne quis autem in aliquam vesaniam nos prorupisse opinetur, Peccatum adeo non extenuamus, ut lachrymis profusis, cùm Isaia quotidie exclamemus, à vertice capitis usq[ue] ad plantam pedis, nihil sanum in toto nostro corpore esse, nosq[ue] propter hoc solum, pœnam æternæ damnationis (quo supplicio nihil horribilis) incurrisse. Neq[ue] etiam tale Accidens esse dicimus, quod poſſit adesse vel abesse, sed tam per inaciter nobis inhabere cum Luthero afferimus, ut in hac vita nunquam à nobis elui queat. Ideo vero Accidens dicimus, quia quiddam eſt aduenticium, & post omnium rerum creationem accessit, vel (ut Paulus ait) subintravit, nec pars eſt substantiae, sed suum esse habet in subiecto, sine quo conſistere nequit. Similitudinibus forsan res illuſtrior erit. Cùm dicimus, Febris esse intemperiem calidam, per uniuersum corpus diffusam, an non duorum mentionem facimus Corporis, quod eſt in Prædicamento Substantia, & Febris, quod eſt in Prædicamento Qualitas? Sit Lepram Accidens

9 Responsio ad Argumenta Cyr.

ridens esse dicimus, quia non est pars substantialis in homine, sed hæret in certo subiecto, quod est homo. Sic Cæcitatem in oculo Accidens esse dicimus, & non substantialiam, ut discernamus occultum per se, qui est in substantia, à Cæitate, quæ est priuatio in oculo. Quemadmodum igitur Febris, Lepra & Cæcitas totius corporis sunt venenum, vel bona valetudinis corruptio, non autem ipsa substantialia, sed morbus corporis & qualitas. Ita Peccatum Accidens dicitur, non ipsa substantialia hominis, sed morbus corporis, qui totum hominem peruersit.

Etsi autem hæc (quæ hæc tenus diximus) luce meridiana manifestiora sint, ne tamen noui alicuius dogmatis assertores esse videamur, aut Andabatarum more pugnare, testimonij insuper è sacrarum literarum promptuario petitis, sententiam nostram roborabimus. Nec (iuxta Aug.) afferemus stateras dolosas: sed diuinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis. Nisi enim hoc fecerimus, cōductius ille portentosus erroris patronus, denuò bastam suam leuans, carnes nostras volatilibus cœli se daturum minabitur.

Iob ergo cap. 50. suo suffragio sententiā nostrā comprobat, dicens: Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me contum in circuitu. Memento quojs, quid sicut lutum feceris me, nonne sicut lac, mulsiſti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnis vestisti me, ossibus me & neruis compagisti. Quia ergo solus Deus creator est substantialium, quod Aug. etiam alibi probat) Peccatum non erit substantialia, alioquin Peccati author constitueretur, aut Diabolo creatio tribueretur, quorum verumq; sacris literis nō modò refragatur, sed etiam blasphemia non caret. Ps. 110. Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Item: Non Deus volens iniquitatem tu es. Peccatum autem est Iniquitas. Ergo Deus hoc non vult. Quapropter igitur Flacciani Deum authorem eius constituant? Deinde, ipse Paulus (electū illud Dei organum) inter hominem corruptum

Spangenb. de peccato original.

corruptum eiusq; corruptionem distinguit. Rom. 7. Non ego operor illud, sed quod IN ME habitat, Peccatum. Video aliam legem IN membris meis, &c. Rom. 6. Non dominetur Peccatum IN mortali vestro corpore, ad obedientum concupiscentijs eius. Unde sic argumentari nobis licet. Quod non per se subsistit, sed suum E S S E habet in alio, non est substantialia. Peccatum non est aliquid per se subsistens, sed (iuxta Paulum) suum E S S E habet in alio. Ergo non est substantialia, sed Accidens.

Quod Augustini autoritatem ceu molem quandam nobis obiciunt, eaq; vt meretrix stibio se ornant, is fucus nunc quoq; nobis decergendus est. Augustinus ergo sententiam istorum suo calculo in tantum nō approbat, vt nobis etiam contra nouatores istos arma ministret. Quemadmodum enim Scorpionū carnes oleo coctæ, percusionibus scorpionū medentur: & theriaca de serpētis carne confecta morsibus serpentinis occurrit: & potionis veneno infectas, in potu sumpta expellit. Sic Augustini autoritas ceu aculeo nobis insultant, cōtra venenum istorum, sanquā praesentissimum remedium nos maximè munire solet. Verū ne mihi apud eos, qui eius scripta non legerunt, suspicio calumniæ suboriatur, nonnulla breuiter attingam.

Contra Manichaum Secundum, cap. 12. sic scribit: Certe omnis inter nos discretio est, quod vos (Manichæi) substantialiam quandam malam esse dicitis; nos (orthodoxi) vero non substantialiam quandam, sed inclinationem, ab eo, quod magis est, ad id, quod minus est, malum esse dicimus: Lib. 2. Confessionum cap. 12 Malum illud, quod quærebam, unde esset, non est substantialia. Quia si substantialia esset, bonum esset. De natura & Gratia, cap. 20. Peccata, à quibus dicit Euangeliū saluum faciendum populum Christi, substantialia non sunt.

Audiamus etiam Lutherum, cuius scriptis monstrosum suum dogma fouendū subiiciunt non secus ac cuculus, qui corrugatur

ii Responsio ad Argumenta Cyr. Spang.
et sua oua excludenda furtim supponit. Is autem nostra sententia sua subscriptione maximum robur addit: cap. i. Gen. Peccatum fæditatem appellat. Fæditatem (inquit) annexam corporibus & animis sentiamus Peccati esse pœnam. Cap. 4. Peccatum Accidens esse afferit, cum inquit: Tamen spirituales homines distinguere debent, inter Peccatum Originale & creaturam. Ac mansit in natura corrupta, generatio: sed ACCESSIT illud Diaboli venenum, pruritus carnis, & fada libido. Item: Qui isto veneno Peccati Originalis, à plâta pedis, usq; ad verticem infelix sumus, siquidem in natura integra hec ACCIDERE. Possent quidem plura huius rei in medium produci suffragia, sed quia molestus es medicus furens phrenetico, nec ut in rebus ciuilibus numeranda, sed ponderanda sunt sententiae, digerum saltem intendisse sufficiat. Quod si atrocius, quam in tali disputatione conueniebat, in aliquem inuectus sum, aut præter mansuetudinem & modestiam Theologo dignam tumultuosius aliquid dixi: non mihi hoc impunet, sed occasione, quæ non tam obtrulit, quam efflagitauit. Proximum nunc es, ut Flacciani reproba mentis pœnas expectent. Quas quidem optarim, ut effugere possent, sed obstinata obfirmataq; veritati aduersandi libido ita constrictos tenet miseros homines, ut saniora consilia, resipiscientiam suadentia, nec velint, nec possint admittere. Suo igitur exitio, in quod præcipites ruunt, relinquendos censeo. DE.

V S Opt. Max. Ecclesiam suam, inter hereticorum rabiem constitutam clementer per IE SVM
CHRISTVM Filium suum.
protegat, AMEN.

FINIS.

Disputatio De viribus humanis.

AUTHORE ET PRÆSIDE,
REVERENDO
VIRO. D. THEODORICO SNE,
PPIO, DOCTORE ET PROFESSORE THEOLOGO, IN
Academia Tübingensi, Praeceptore suo reverenter colendo,
4. Maij. in Aula noua, hora sexta matutina, exer-
cendi ingenij causa, iuuante D E O, re-
spondere conabitur,

M. JOSEPHVS CÖLLINVS
Flachensis.



T V B I N G A E
Apud Georgium Gruppenbachium.
Anno 1582.